

PALATINO SELECTUS.

149

*alia spolia pertulit, JOVISQUE ADORNATO SIMULACRO  
EAM IN MANUM APTAVIT, LABRADEUMQUE NO-  
MINAVIT JOVEM, Labram enim Lydi vocant, quod Latini Se-  
curim. Quam expositionem clariorem desideres? Hinc conficitur, fal-  
sa esse Etymologiarum commenta, quae apud LACTANTIUM & AELIANUM  
leguntur, quorum alter nomen hoc idè Jovi datum arbitratur, quòd La-  
bradeus ejus Hospes fuerit, & in bello adjutor; Alter, quòd multum plu-  
isset. PLUTARCHI Sententia indubitato vetustatis testimoniò nititur.*

**P**ergami occurrit Pergameni Regni Conditor

XXXVIII.

PHILETÆRUS.



**P**hiletærus Thesaurorum Lyfimachi Præfectus fuit, ab eoque ad Se-  
leucum defecit, & Seleuci præsidio Regias firmavit opes, Nomine ta-  
men abstinuit. Numisma exhibit & Cl. PATINUS in Thesauro, hâc tamen  
cum differentiâ, quòd Gladius & Laurea in averfa desit & loco A Ξ K,  
A Ξ Y legatur. Titulo Regis Eum idè abstinuissè idem Cl. PATINUS con-  
jicit, quòd Eunuchus & Servili conditioni proximus Coronam frondeam  
sibi sufficere putaverit. Sed quid vocabulum A Ξ K? Quid Pallas? Vir-  
tutumne Dea Lauream imponat ei, qui proditione Domini Thesauros  
suffuratus est? En consuetam hominum versutiam! Quæcunq; sua fa-  
cta Deorum auxilio sibi ex sententia cessissè fingunt. Attamen Philetæ-  
ri defectio forsitan non omninò damnanda videbitur. Ab Arsinoë falsis  
criminationibus apud Dominum delatus, quid nisi suæ securitati consulere  
potuit? Lyfimachum præ cæteris Minervam coluissè supra diximus. Inde  
crediderim Philetærum ab eâdem Deâ idè se Gladium & Lauream, id  
est, Potestatem & Gloriam accepissè, hoc in nummo profiteri, quòd fu-  
giturum Ea non detexerit aut ultra fuerit; Non enim id tantùm Deorum  
beneficium est, quod ipsi nobis dant; sed & id, quod illis conniventibus  
nobis obvenit, Per Literas A Ξ K. Asclepia intelligimus, Agones Æ-  
sculapii Festo Pergami celebrari solitos.

T<sub>3</sub>

Ex